

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

I.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



I.

S. Reverende & Clarissime Domine Doctor.

Spero & opto, cum conjugē & omnibus domesticis tuis te rectè vale-
re. Intelligo, filium meum Matthæum ad vos ex Italia rediisse, vel
paulò post rediturum. Ille tua meaque amicitia, & multis à te perce-
ptis beneficiis, ac promissionibus benigne factis plurimum nititur, per-
suadens sibi, te procuratore nacturum se discipulos, quorum sumptibus in Gal-
liis aut alibi studium Juris inchoatum feliciter pertexere possit. Valde igitur
te rogo, ut meæ tenuitatis, & filii ingenii excolendi rationem pro virili habeas
& quocunque modo possis, eum juves. Senesco annis & curis & ante men-
sem pridie Conversionis Pauli, in templo nostro tam violente lapsus sum, ac ter-
ræ illisus, ut interea nec concionari nec legere in Academia potuerim; & ex
his literis male pictis, quam difficulter manum moveam, non obscure vides.
Quæso te secundo, ut filium meum tibi commendatissimum habeas, & curæ
suppellectilis meæ memor sis. Promitto gratum animum & studium vicissim
de tuis bene merendi. Bene vale cum honestissima conjugē & liberis, quos
recum, & Reverendo ac Clarissimo Domino Doctore & Superintendente, Jo-
hanne Pappo, peramanter & officiose saluto. Dat. Rost. 24. Febr. 1600.

T. R. S.

Val. Schachtius.



II.

Salutem in Christo Jesu, Domino & Servatore nostro.

Postquam, Reverende & Clarissime Domine Doctor, amicè & frater pluri-
mum honorande, per multas & graves ærumnas, quibus, maximè propter
obitum conjugis meæ dilectissimæ p. m. longo tempore affectus fui, DEI gratia,
sum eluctatus, tandem quasi postliminiò, ad scribendi munus, jam aliquandiu
interruptum, me confero. Porrò qui has offert, Moses Held Ulmensis, ab in-
eunte ætate alumnus fuit nostræ scholæ, adolescens & ingenio liberalissimo,
Ggggg 2 opti-